COOPER MEDICAL COLLEGE
San Francisco, Cal.
1867

APPIANUM IN BELLO PUNICO TERTIO DESCRIBENDO AUCTORE USUM ESSE POLYBIO.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVIII. MENS. MARTII ANNI MDCCCLXVII

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

BERNARDUS FAHLAND,

POMERANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

G. HAAG, PHIL. CAND.
J. SCHELTZ, PHIL. STUD.
H. HOHBERG, PHIL. CAND. ET MED. STUD.

GRYPHISWALDIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE REG. ACAD TYPOGR.

MDCCCLXVII.

J. F. C. CAMPE

VIRO ERUDITISSIMO ET CELEBERRIMO

D.

SC.

In eorum numero, qui res a Romanis gestas posterorum memoriae tradiderunt, magnum certe locum obtinet Polybius, Lycortae filius, Megalopolitanus. Neque enim ullum invenias alium auctorem, qui, maiorem eius, quam scripsit, historiae cognitionem habuerit aut intellegentiam quam Polybius, qui rum omnium rerum et civilium et militarium adeo fuerit peritus, ut maxima iam apud aequales suos uteretur laude et dignitate, tum ipse viderit plurima, quae scripta memoriae reliquit, ut nemo unquam eruditior quam ille aut magis omnino idoneus ad historiam rerum gestarum componendam accesserit.

Et quamquam nostri temporis homines quidam eruditi — mirabile profecto est auditu — Polybium graviter reprehendant, quasi qui et totius populi Romani amore studioque captus et praesertim eorum, qui maxime tum in republica Romana florebant, amicissimus sua sponte permulta prodiderit falsa, tamen qui ita iudicant, Polybii vituperandi causas omnino procul habent, neque ullo modo veritatem a Polybio industria depravatam esse probare possunt.

Quare multo plures sunt, qui laudem ei tribuenda insignem et fidem dandam esse summam suo iu dicunt. Nam Polybio, quippe qui Graecas natio res a Romanis gestas descripserit, multo mag credendum esse apparet, quam Romanis ipsis a ctoribus. Atque is praeterea, qui diligenter legeri quae Polybius scripsit, facere non poterit, quin viru eum fuisse maxime veritatis diligentem putet. Hc enim omnium certissimum summae eius fidei docu mentum mihi esse videtur, quod ipse Graecus e quae a Graecis hominibus gesta sunt, quasi se vera quadam aequitate et iudicio integerrimo nob tradidit.

Ac quam iniuste iudicent illi, qui nostra aetat ut Polybii laudem detrectent operam dant, hoc ia ipsum demonstrat, quod eius historiae ipsis veteribu magno opere probantur; sicuti Cicero [1]) eum imprim bonum esse auctorem dicit, Marcus vero Brutus [2] doctissimus ille vir et subtilissimus verborum atqu librorum censor et existimator, tanta admiration captus erat et amore Polybii, ut semper, quae ill scripsit diligentissime et studiosissime legeret atqu eius ex operibus republica discordiis domestici gravissime afflicta magnum malorum solatium ce pisse dicatur.

Iam vero hac ex re vel maxime quanto Poly bius fuerit et adhuc sit momento intellegere nobi

---

1) Cicero d. Offic. 32.

2) Plut. Brut. c. IV. — Vid. et Vossii. De Histor. Graec.

licet, quod quicunque post eum easdem, quas ille rerum Romanarum conscribere susceperunt, illius potissimum ut gravissimis ad rei cognoscendas fontibus usi sunt scriptis.

Livius enim, ut exemplis utar, principem eum multisque librorum suorum partibus unum sibi delegit auctorem; et quaecunque ex Diodori historiis illius, quod idem Polybius descripsit, temporis dispersa sane et comminuta ad nos pervenerunt, a Polybio sumpta esse, etiam parum diligenter consideranti manifestissime apparet.

Vel etiam apud plerosque, qui, tum natione ipsa Graeci, tum Graecia quidem lingua usi, posteriore aetate quam Polybius rerum Romanarum auctores exstiterunt, idem genus scribendi, easdem sententias, eadem permultis locis verba, quae apud Polybium iis, qui eorum libros legunt, saepenumero occurrere, viri quidam literis spectati et probati recte nos monent[3]).

Qua de re mirari nobis haud quaquam convenit, unum illud cogitantibus, non eadem, qua nos, severitate veteres hos homines de iis, qui aliorum libros in suam rem convertebant, iudicasse. Neque enim illi, ut nos, turpe esse existimabant, quod rerum gestarum scriptor quaecunque ab aliis bene ei et vere dicta esse videbantur, libris suis inserebat.

Immo vero multi rerum gestarum explicatores ut eos, qui legunt, veri auctoris nomen fugiat, operam dant et omnino illud non commemorant aut tam

3) Vid. Campii: Einleitung z. d. Geschichten d. Polybius.

leviter attingunt, quasi parvam habeat et nullam fervim, ut Livius[4]) eundem, cuius multis locis eadem verba reddidit latine, Polybium haud quaquam spernendum esse et non incertum omnium rerum Romanarum, tum praesertim in Graecia gestarum dicit. Cum igitur, ut supra dixi, Polybius rerum Romanarum auctor sit gravissimus, quo nemo accuratius explicuit aut verius ea, quae a Romanis gesta sunt inde ab initio eius belli, quod dicitur Punicum secundum usque ad Carthaginem a Scipione deletam, valde est illud dolendum, quod ex quadraginta historiarum eius libris quinque modo primi supersunt integri et quae eius praeterea adhuc exstant, pauca sunt eaque curta et dissipata.

Quod damnum, quo aliqua ex parte restituatur, iis, qui in literis versantur et prae ceteris iis, qui historiae studio se dederunt, contendendum et elaborandum illud esse mihi videtur, ut ea, quae a Polybio tradita iam amissa sunt, ex eorum libris, qui copiam scribendis ab eo ceperunt, intellegere studeant.

Qua in re primum quaeramus necesse est, quis accuratissime inter eos, qui scientiam rerum gestarum Polybio debeant, quae ille dixerit, reddat. Quod Livio et praeter eum Diodoro maxime contigisse haud negabimus. Sed ex utriusque historiis, ad quas conscribendas Polybii auctoritate usi sunt, multae partes aut omnino effluxerunt aut adeo corruptae et breviatae ad nos pervenerunt, ut ex iis Polybii

4) Liv. XXX, 45 et XXXIII, 10.

erba non plane intellegere possimus. Ac maxime a, quae Polybius de rebus a Romanis et Carthagiiensibus bello Punico tertio gestis dixit, ex neutrius bris cognoscere licet, cum aqud Diodorum pauca quaedam fragmenta, quae ad illud bellum pertinent, ivianae autem historiae ea sola, quae potiora lorus excerpsisse dicitur, adhuc habeamus. Quare d tertium, qui ex eodem quasi fonte hausit, Appiaum vertamur necesse est. Quem re vera iis, qui elli Punici historiam, qualis a Polybio prodita sit, iscere student, haud spernendum esse auctorem, i hanc Appiani annalium partem cum Polybii fragentis comparaveris, cognosces.

Nam Appianum tanti Polybium aestimat et tam ertum fidumque ducit auctorem, ut non solum scintiam ab illo sibi paraverit summarum et gravissiarum rerum easque eodem fere modo, quo Polyius, descriptas reddat, sed etiam narratiunculas uasdam quae parvi sunt momenti accuratissime t paene dixi nimia diligentia referat[5]). Et cum irabili quodam modo atque adeo Appianus cum olybio congruat, ut etiam easdem fere, quas hic, e rebus gestis et gentium atque virorum singulorum oribus sententias ferat, non reputans secum, utrum ecte Polybius iudicaverit an iniuste, ea ex re senitur, ut quaecunque Appiannes de bello Punico

5) V. App. Libyc. c. CXXXI et CXXXII.

tertio scripsit, ex Polybii libris, quos non iam incolumes nos habere dixi, elata sint[6]).

Quae cum ita sese habeant, valde profecto mirandum est, quod eam, quam dixi, maximam Polybii et Appiani convenientiam consensumque nemo adhuc literarum et historiae studio deditus planissime explicuit, multi ne satis quidem perspexerunt[7]).

Ipse enim Mommsenius, cuius de summa doctrina, quae videlicet omnibus sit nota et probata, hoc loco latius disputare nolo, illius rei ignavus esse videtur. Nam etsi virum adeo eruditum latere non potuit, quod iam pridem a multis est cognitum, Appianum quibusdam historiarum suarum partibus Polybium esse secutum, tamen quantopere secutus sit neque alio eum nisi Polybio auctore ad historiam eius belli perscribendam esse usum, Mommsenius se scrire ne uno quidem verbo indicat. Quare perspicuum est, Mommsenium utriusque auctoris libros non accurate inter se comparasse. Si enim comparasset, quaecunque apud Appianum leguntur

---

6) Appianum in historia quoque bellorum a Romanis contra Macedones gestorum et Antiochum, qui dicitur Magnus, unius eiusdem Polybii auctoritatem esse secutum, est perspicuum. Quod probare opus esse mihi non videtur, cum et Livii libros iis de bellis conscriptos habeamus incolumes et a Nissenio (v. eius Kritische Untersuchungen über die Quellen des Livius) ea de re iam disputatum est.

7) Affirmat quidem Nissenius, Appianum in historia belli Punici tertii componenda Polybio usum esse auctore, sed illud non demonstrat.

re vera Polybii ipsius etiamsi non verba, verborum certe tamen sensum esse intellexisset [8]).

Sed ad hanc rem vel maxime ei, qui historiae rerum gestarum pervestigandae operam dat, animum advertendum esse apparet, ut eorum, qnicunque de rebus a populo quodam gestis scripserunt, libros diligentissime inter se comparet, cum alia ratione in intimam veritatem penetrare non possit. Illud enim, quo saepenumero nostrae aetatis historici aliquid re vera factum esse demonstrare student, quod duo aut plures auctores eandem nobis rem tradiderunt, illud dico nullam fere habet vim, nisi eos auctores, qui idem prodiderunt, diversis uti fontibus est probatum.

Quae cum ita sint, operae pretium mihi fore putavi, si Appianum in bello Punico tertio describendo Polybio usum esse auctore demonstravero. Quam ad rem probandam Diodori quoque libros

---

8) Mommsenium Appiani gravitatem non percepisse ex his illius verbis, quae in pagina vicesima (Röm. Gesch. pars II.) inveniuntur, apparere videtur: „Man beschloss nicht (sc. Carthaginienses ubi Carthaginem Romanos deletam velle audiverunt) sich zu wehren, wehrlos wie man war verstand sich dies von selbst.“ Nam magnopere ei repugnat Appianus, qui haec initio capitis nonagesimi tertii (Libyc.) dicit: „ἡ δ' βουλὴ (τῶν Καρχηδονίων) πολεμεῖν μὲν ἐψηφισατο αὐτῆς ἡμέρας.“ Licet igitur parvi intersit, utrum Carthaginienses iustum sui defendendi ceperint consilium, an non capto bellum subierint, tamen Mommsenium illud non dicturum fuisse persuasum habeo, si eam, quam debebat, vim Appiani verbis tribuisset; nisi forte eum omnino fugerunt illa, quae proposui, Appiani verba. — Etiam Nissenius (p. 117.) Appinianum mediocrem esse auctorem exsitimat.

afferre, in quibus pauca quaedam reperiantur, quae ex Polybii libris iam amissa cum Appiani verbis plane consentiunt, non esse alienum mihi videtur. Quaecunque enim ab Appiano tradita iis, quae apud Diodorum leguntur, respondent ex Polybii libris deprompta esse constat, cum Diodorum etiam magis quam Appianum ad unius Polybii auctoritatem se conferre, supra a me iam dictum sit. Sed re vera ita rem se habere nonnullis exemplis nunc demonstrem necesse est.

Diodorus igitur in libri tricesimi alterius capite quarto decimo (ed. Bekk.) haec dicit:

Κάτων Μάρκος Πόρκιος ἐρωτηθεὶς ὑπό τινος τί πράττει ὁ Σκιπίων κατὰ τὴν Λιβύην εἶπεν „οἷος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀίσσουσιν.“

Polybius in cap. quinto libr. tricesimi sexti (ed. Bekk.) idem his verbis narrat:

ἐν γὰρ τῇ Ῥώμῃ Μάρκον Πόρκιον ἀκούσαντα τὰς ἀριστείας Σκιπίωνος εἰπεῖν „οἷος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀίσσουσιν.“

Multo etiam magis ex altero quodam loco, quantopere Diodorus Polybii usus sit auctoritate, intellegimus. Narrant enim Diodorus et Polybius, Hasdrubalem, Carthaginiensium imperatorem urbisque praefectum, Gulussae opera cum Scipione egisse de pace. Quales autem pacis condiciones Scipio Hasdrubali tulerit, his exponit Polybius verbis in cap. altero libri undequadragesimi:

ὁ στρατηγὸς (Σκιπίων) ἐκέλευσεν ἀναγγέλλειν διότι δίδωσι τὴν ἀσφάλειαν αὐτῷ καὶ γυναικὶ καὶ τέκνοις

καὶ δέκα τῶν συγγενῶν φίλων οἰκίαις, σὺν δὲ τούτοις δέκα τάλαντα λαβεῖν ἐκ τῶν ἰδίων ὑπαρχόντων, καὶ τῶν οἰκετῶν ἐξαγαγεῖν οὕς ἂν αἱρῆται.

Diodorus in cap. vicesim. altero libr. trices. alterius: κατὰ τὰς ἐντολὰς τοῦ στρατηγοῦ προέτεινε τῷ Ασδρούβᾳ αὐτῷ τε καὶ δέκα οἰκίαις αἷς ἂν βούληται ἀσφάλειαν καὶ δωρεὰν ταλάντων δέκα καὶ δοῦλα σώματα ἑκατόν.

Omittit igitur Diodorus quod definitis verbis commemorandum ei non erat, Scipionem uxori quoque et libris Hasdrubalis fidem dedisse Qua autem mente Hasdrubal Scipionis illas condiciones tulerit, his verbis describit Polybius:

τοὺς θεοὺς καὶ τὴν τύχην ἐπικαλεσάμενος, οὐδέποτε ταύτην ἔσεσθαι τὴν ἡμέραν ἔφασκεν, ἐν ᾗ συμβήσεται τὸν ἥλιον Ἀσδρούβαν βλέπειν ἅμα καὶ τὴν πατρίδα πυρπολουμένην.

Diodorus: ὁ δὲ Ἀσδρούβας ἀπεκρίθη μηδέποτε ἐπόψεσθαι τὸν ἥλιον πυρπολουμένης τῆς πατρίδος ἑαυτὸν διασωζόμενον.

Et pergit idem sic: καὶ τοῖς μὲν λόγοις ἐθρασύνετο, διὰ δὲ τῶν ἔργων ἐφωράθη διαδιδράσκων, ὅσγε καὶ τῆς πατρίδος οὔσης ἐν ἀπεγνωσμέναις ἐλπίσιν ἐτρύφα, πότους ἀκαίρους συνάγων καὶ πολυτελῆ δεῖπνα ποιῶν καὶ δευτέρας τραπέζας ὑπερηφάνως διατιθέμενος. καὶ οἱ μὲν πολῖται λιμῷ ἀπέθνησκον, ὁ δὲ πρὸς τοῖς ἄλλοις κακοῖς ἐφόρει πορφύραν καὶ πολυτελῆ χλαμύδα, καθάπερ ἐκβακχεύων τοῖς τῆς πατρίδος δυσκληρήμασιν.

Polybius: ὥσθ' ὅστε μὲν εἰς τὰς ἀποφάσεις αὐτοῦ τις βλέψειε, θαυμάζειν τὸν ἄνδρα καὶ τὸ μεγαλόψυχον

τῶν λόγων, ὅτε δ' εἰς τὸν χειρισμὸν τῶν πραγμάτων τὴν ἀγενίαν κατὰ πλήττεσθαι καὶ τὴν ἀνανδρίαν· ὃς πρῶτον μέν, τῶν ἄλλων πολιτῶν διαφθειρομένων ὅλως σχερῶς ὑπὸ τοῦ λιμοῦ, πότους αὐτὸς συνῆγε καὶ δευτέρας τραπέζας παρετίθετο πολυτελεῖς, καὶ διὰ τῆς ἰδίας εὐεξίας παρεδειγμάτιζε τὴν ἐκείνων ἀτυχίαν.

Hasdrubalem autem amictum gessisse purpureum Polybius supra iam dixit. De Prusia vero, rege Bithynorum haec scripsit Diodorus in libri tricesimi alterius capite undevicesimo:

ὁ Προυσίας ὁ βασιλεὺς τήν τε ὄψιν ὢν εὐδεχθὴς καὶ τὸ σῶμα διὰ τὴν τρυφὴν ἔχων γυναικεῖον ὑπὸ τῶν Βιθυνῶν ἐμισεῖτο.

Polybius vero in cap. alt. libr. tricesimi septimi: Προυσίας ὁ βασιλεὺς εἰδεχθὴς ὢν κατὰ τὴν ἔμφασιν — καὶ πρὸς τὰς πολεμικὰς χρείας ἀγεννὴς καὶ γυναικιόδης — ὅπερ ἥκιστα βούλονται περὶ τοὺς βασιλεῖς ὑπάρχειν ἅπαντες μέν, μάλιστα δὲ τὸ τῶν Βιθυνῶν γένος.

Quibus ex locis utriusque auctoris inter se compositis idem genus scribendi et multa eademque verba, quae a Polybio, ad res explicandas a Diodoro adhibita esse plane intellegimus. Eadem autem de causa, propter quam Diodorum respiciemus, Livianae quoque epitomae hac in comparatione non omittendae mihi esse videntur. Quae quamvis contractae et decurtae pro iis, quae Livius ipse scripsit, Diodori fragmentis propter hanc quidem rem praeponendae sunt, quod continuam narrationem continent. Livium autem Polybio non modo se adiunxisse, sed etiam permulta eius verba in latinum

ermonem transtulisse multi et cognoverunt am et locuerunt [9]).

Hac igitur de re omnibus nota multa me dispuare opus esse mihi non videtur.

Sed antequam ad rem ipsam venio, quam demonstrare mihi proposui, pauca quaedam de ratione, qua Appianus ea, quae Polybius scripsit, eius ex ibris excerpserit, in universum dicenda mihi esse videntur.

Appianus igitur multo fere minore verborum copia res gestas exponit quam Polybius ac singula quaedam a Polybio tradita, quae leviora ei esse videntur, omnino omittit. De iis autem rebus, ad quas narrandas non tam scientia, quam ingenium opus est, longius interdum disputat quam Polybius. Quare copiosae quaedam et verbosae legatorum orationes libros eius legentibus nobis obviam se dant, cum apud Polybium sententias solas, in quas eaedem orationes habitae sunt, inveniamus. Vel etiam Appianus in paucis quibusdam rebus Polybio repugnare videtur. Sed hanc diversitatem non ea in re positam esse intellegemus, quod Appianus praeter Polybium alterum quoque habuerit auctorem, sed quod aut ipse erravit aut lectio est depravata. Et contra permulta, quae Polybius tradidit, paene ad verbum Appianum in suos libros transtulisse videbimus. Quare inique mihi quidem iudicare videtur

9) Vid. Nissenii: „Kr. Untersuchungen über die Quellen des Livius."

Nissenius, qui maximae Appianum negligentiae in
cuset. Nam hanc Appiani in diligentiam in quibus
dam sane historiarum ab eo compositarum partibu
reperimus. De plerisque autem rebus maximeque
de iis, quae ipsum delectant; quarum in numero
hoc ipsum bellum Punicum est, diligentissime e
studiosissime disputat. Atque omnia ea exempla
quae ad sententiam suam probandam Nissenius
enumerat, ex Macedonica et Syriaca historia capta
esse videmus. Bellum autem Punicum describens
haec sola Appianus omisit, quae in epitomis Livia-
nis nobis tradita sunt: a M. Manilio aliquot urbes
Carthagini circumiectas esse expugnatas atque e
tribus legatis ad Masinissam missi unum tempestate
coorta undis esse obrutum. Quas res levioris esse
momenti apparet. Nihil denique, quod veritati ob-
sistat, Appianus memoriae prodidit[10]). Quibus om-
nibus de rebus infra accuratius dicam. Nunc vero
ad disputationem ipsam transeo. Quibus igitur a

---

10) Magna levitate sane et brevitate, ut Nissenius notat, ab Appiano exordium historiae Syriacae est compositum. Sed hoc non mirum videbitur ei, qui reliquarum gentium res nisi cum populi Romani rebus cohaerentes describere Appiano in mente non fuisse, intellexerit. Propterea igitur quaecunque ab Antiocho extra Europae fines priusquam cum Romanis ipsis congressus est, gesta sunt, breviter Appianus attingit. Quo fit, ut vix ubique, quid sibi velint eius verba intellegere possimus. Subinde vero oratio uberior fit et multo apertior atque Syriacarum quoque rerum Polybium ab eo non incertiorem creditum esse auctorem quam rerum Punicarum, non difficile est intellectu. Atque ea imprimis, quae inter Romanos et Antiochum regem per legatos acta sunt, non minus bene ab Appiano discimus quam a Polybio.

causis profectum sit hoc bellum, quod dicitur Punicum tertium ex Polybii libris, quales ad nos pervenerunt, non iam plane intellegere nobis licet, cum quae hac de re a Polybio dicta sunt, non integra sed admodum depravata nobis adsint. Neque tamen minus nostro iure opinari debemus, Polybium easdem quas Appianum belli causas protulisse Masinissae et Carthaginiensium gravissimas inimicitias, cum et iis, quae Polybius in capite altero libri tricesimi alterius pauca de illis controversiis dicit, Appiani verba omnino respondeant et Livius in capite undequinquagesimo ab eadem re bellum ortum esse dicat. Alteram vero belli causam Livius hanc fuisse tradidit, quod Gulussam, Masinissae filium, Carthaginienses in oppidum non recepissent. Quam ad rem Appianus quoque, etsi in belli causis non numerat, in capite septuagesimo spectat: Carthaginienses, ait, propter acceptas iniurias Masinissae acerbissime irati omnes cives, qui regi Numidarum favent, ex urbe eiiciunt et Micipsam deinde Gulussamque, qui ut exules recipi iuberent „a patre missi sunt, ab urbe propellunt, vel etiam redeunti Gulussae insidias parant. Atque illud quoque Polybius et Appianus una et consentienti voce nobis tradunt, a legatis, quos litis arbitros Romani in Africam mittebant, semper contra Carthaginienses et secundum Masinissam esse diiudicatum.

Eam autem ipsam legationem, cui M. Porcius intererat, qui opibus Carthaginiensium viris et periculo Romanis imminente cognito cives suos in pa-

triam reversus summo opere ad bellum contra Ca
thaginienses gerendum commovere studebat, Polybiu
non commemorat, cum Appianus longius ea de r
loquatur. Sed ex his Polybii verbis, quae adhu
initio libri tricesimi sexti reperiuntur: πάλαι δέ τοι
του κεκυρωμένου βεβαίως ἐν ταῖς ἑκάστων γνώμαις κα
ρὸν ἐξήτουν ἐπιτήδειον καὶ πρόφασιν εὐσχήμονα πρ
τοὺς ἐκτός magna cum probabilitate colligere lice
eum quoque de illa legatione paulo ante haec d
xisse, cum alia ratione, quid sibi velint haec Polyb
verba, vix coniici possit. Nam contextus sermon
ita optime intellegitur: Romani a Catone docentu
quantopere Carthaginienses timendi sint et inflam
mantur, ut bellum iis inferant. Atque deinde Poly
bius pergit: cum illud — scilicet timendos ess
Carthaginienses et bellum contra eos gerendum —
apud omnes constaret, causam belli petebant. Hu
autem accedit quod ea, quae Appianus, ubi Cato
nem monuisse Romanos de periculo a Carthaginien
sibus instante narravit, in capite undeseptuagesim
dicit: ὧν ἡ βουλὴ πυνθανομένη ἔκρινε μὲν πολεμεῖ
ἔτι δ' ἔχρῃζε προφάσεων, καὶ τὴν κρίσιν ἀπόρρητο
εἶχον — idem significare apparet, quod illa Polyb
verba. Atque in capite septuagesimo quarto, qu
Appianus eodem revolvitur, paene iisdem utitu
verbis, quibus eo, quem proposui, loco, Polybius
Nam haec dicit: ἡ δὲ βουλὴ πάλαι διεγνωκυῖα πολε
μῆσαι καὶ προφάσεις ἐρεσχηλοῦσα etc.

Hos autem Polybii et Appiani librorum loco
inter se comparandos esse, etiam illud demonstra

quod ea, quae apud utrumque auctorem scripta sequuntur, maxime inter se consentiunt. Dicit enim Polybius, Romanos periculo Carthaginiensium cognito, utrum bellum susciperent necne inter se dissedisse; atque Appianus etiam nominatim diversae utriusque sententiae auctores commemorat: Catonem, qui Carthaginem esse delendam censebat et Scipionem Nasicam, qui, ut cives suos a bello deterreret, summa vi enitebatur[11]).

Causam autem belli gerendi iustam, quam quaerebant Romani, brevi ab ipsis Carthaginiensibus iis oblatam esse, Appianus narrat. Nam Carthaginienses a Masinissa iterum atque iterum vehementissime vexati et lacessiti bellum ei inferebant. Quo facto bactionem illam, quam pugna ad Zamam devicti

---

11) Appianus in capite undesexagesimo: *Κάτωνα δ' ἐξ ἐκείνου φασίν ἐντῇ βουλῇ συνεχῆ γνώμην λέγειν, Καρχηδόνα μὴ εἶναι, Σκιπίωνα δὲ τὸν Νασικᾶν τὰ ἐναντία ἀξιοῦν, Καρχηδόνα ἐᾶν, ἐς φύβον ἄρα καὶ τόνδε Ῥωμαίων ἐνδιαιτωμένων ἤδη.*

Eadem dicit Diodorus in capite sexagesimo libri tricesimi quinti: *Μάρκος μὲν Κάτων ὁ ἐπικληθεὶς Δημοσθένης εἰ ὤθει λέγειν παρ' ἕκαστον ἐν τῇ συγκλήτῳ, μετὰ τὴν ἀπόφασιν τῆς ἰδίας γνώμης, Καρχηδόνα μὴ εἶναι. ὁ δὲ Νασικᾶς ἀεὶ τοὐναντίον ἀπεφαίνετο Καρχηδόνα διὰ παντὸς εἶναι.*

Atque in Epitomis libri undequinquagesimi haec leguntur: „inter M. Porcium Catonem et Scipionem Nasicam, quorum alter sapientissimus vir in civitate habebatur, alter optimus etiam a senatu iudicatus erat. diversis certatum sententiis est Catone suadente bellum, et ut tolleretur delereturque Carthago, Nasica dissuadente."

Ex magna igitur Diodori cum Appiano congruentia, utrumque illa verba ex Polybii libris descripsisse intellegimus, cum Livius studio civium suorum ductus, Nasicam sapientissimum, Catonem optimum fuisse virum adiecerit.

cum Romanis facere cogebantur, ne adversus Ro manorum socios, quorum in numero Masinissa era neve omnino contra hostes suos nisi Romanis ipsi concedentibus bellarent, neglexerant. A Masiniss autem proelio devicti atque veriti ne Romani, quo rum a se alienam voluntatem haud ignorabant, illi causa interposita bellum sibi indicerent, Carthagi nienses legatos Romani mittebant, qui rem defende rent et belli suasores, Carthalonem et Hasdrubalem iam sibi condemnatos esse docerent.

Quibus narratis et iis, quae legati ad cives suos excusandos apud senatum Romanum dixerant, relatis Appianus in capite septuagesimo (Libyc.) ita pro sequitur: ὡς δὲ τις τῶν βουλευτῶν τοὺς πρέσβεις ἔρετο ὅπως οὐκ ἐν ἀρχῇ τοῦ πολέμου τοὺς αἰτίους, ἀλλὰ μετὰ τὴν ἧσσαν ἐξεκήρυξαν, οἱ μὲν ἀποκρίσεως ἠπόρουν.

Quibuscum Polybii verba comparanda sunt quae apud Diodorum leguntur in libri tricesimi alterius capite tertio: τῶν ἐκ τοῦ συνεδρίου τινὸς ἀναφωνήσαντος „καὶ πῶς οὐ παρ' αὐτὸν τὸν καιρὸν κατεδικάσθησαν οἱ τῆς διαφορᾶς αἴτιοι γεγονότες; ἀλλὰ μετὰ τὴν κατάλυσιν τοῦ πολέμου;“ οἱ τῶν Καρχηδονίων πρέσβεις ὑπεσιόπησαν, οὐκ ἔχοντες δίκαιον οὐ δὲ εὔλογον ἀπόφασιν.

Quorum locorum quam accurate singulae partes inter se respondeant, maxime est animadvertendum. Diodorus autem quin hoc loco ea, quae Polybius dixit, reddat, nemo dubitabit.

Legatis vero Carthaginiensium interrogantibus, quid fieri vellent Romani, respondebatur, Carthagi-

ienses de scelere, cuius accusarentur, non satis pud Romanos se excusasse. Atque quaerentibus einde legatis, quomodo purgari possent Carthagiienses, Romani etiamtum definitam et perspicuam erborum suorum interpretationem evitabant et Carthaginiensium satisfactionem se nondum acepisse dicebant. Qualem autem satisfactionem ostularent, non ostendebant. Propterea iterum gati a Carthaginiensibus ignorantibus, quo illud esponsum spectaret, Romam missi sunt. Quod ppianus in capite septuagesimo quarto tradit. Atque is usus verbis idem auctor pergit: οἱ δ' αὖθις ἔφασαν δέναι Καρχηδονίους καλῶς.

Quibuscum consentiunt, quae Diodorus dicit in apite primo libri tricesimi alterius: πρεσβευσάντων ὐτῶν ἀπόκρισιν ἔδωκαν, εἰδέναι γενέσθαι.

Atque Diodorus quidem hoc loco eam responionem, quam primo iam Carthaginiensium legati a enatu ferebant, proponere videtur, cum Appianus le altera legatione loquatur. Sed hoc nullius est momenti, cum Appianus ipse idem iam semel Carhaginiensium legatis responsum esse dicat [12]).

Qua obscura et non aperta ad intellegendum Romanorum dictione animos Poenorum summa affe-

12) In Epitomis Livianis quid senatus Poenorum legatis responderit, omittitur. Quare est verisimile, Livium ambiguarum larum responsionum, quas Appianus et Diodorus proponunt, nullam mnino mentionem fecisse, ne divus sui male et insidiose cum Carhaginiensibus agentes vituperandi esse viderentur neve in legentium dia venirent.

ctos esse perturbatione Appianus in capite septu
gesimo his narrat verbis:

οἳ μὲν δὴ φόβον καὶ ἀπορίας ἦσαν ἐν τούτῳ.

Polybius in libri tricesimi sexti capite primo.

τῶν Καρχηδονίων πάλαι βουλευομένων περὶ τ
πῶς ἀπαντῆσαν δεῖ πρὸς τὴν Ῥωμαίων ἀπόκρισιν etc. [13]

Sub haec vero dicta uterque et Polybius
Appianus Uticam, urbem maximam et Carthagin
ensibus inimicissimam, sub Romanorum dicionem s
tradidisse narrant.

Quo facto quantum Carthaginiensium res i
discrimen et periculum vocatae sint, ab Appian
quidem melius discimus quam a Polybio. Sed illu
nobis semper cogitandum est, nullam fere huiu
historiae partem apud Polybium incolumem esse, u
ab eo quoque idem, quod ab Appiano narratu
esse, nobis sit credendum, praesertim cum in Epitomi
quoque L. eodem de facto disputetur. Etsi in Epi
tomis ea res paucis modo atque his perstringitu
verbis:

„Ea legatio (Uticensis) veluti omen grata patribus
acerba Carthaginiensibus fuit.“

Cur autem grata patribus, acerba Carthaginien

---

13) Diodorus in capite primo libri tricesimi alterius:

ἀσαφῆ δὲ τὴν ἀπόκρισιν οἱ Καρχηδόνιοι λαβύντες ἐν μεγάλ
ταραχῇ ὑπῆρχον.

Diodori autem ad eandem rem pertinentia verba affero propte
rea, ut ex comparatis Diodori cum Appiani et Polybii dictis etian
magis sit perspicuum, a Diodoro re vera Polybii verba multo accu
ratius esse reddita, quam ab Appiano.

bus fuerit, non exponitur, cum Appianus haec icat:

Ἰσύκη δέ, ἡ Διβύης μεγίστη μετὰ Καρχηδόνα πόλις, μένας τε ἔχουσα εὐόρμους καὶ στρατοπέδων κατα-γὰς δαψιλεῖς, ἐξήκοντα σταδιίους ἀπὸ Καρχηδόνος ρεστῶσα καὶ καλῶς ἐς πόλεμον αὐτοῖς ἐπικειμένη — ρέσβεις ἐς Ῥώμην ἔπεμψεν — ἡ δὲ βουλὴ καὶ τέως τὸν πόλεμον ορῶσάτε καὶ παρασκευαζομένη, πό-ως οχυρᾶς οὕτω καὶ ἐπικαίρου προσγενομένης ἐξήφηνε ν γνώνην etc.

Ea autem defectione Uticae Carthaginienses iam magis perterriti tertium legatos eosque cum eris mandatis Romam mittunt. Quam rem Poly-us in eodem capite his verbis exponit:

κατέστησαν πρεσβευτὰς αὐτοκράτορας, καὶ τούτους απέστελλον δόντες ἐντολήν, βλέποντας πρὸς τὰ παρόντα, άττειν τὸ δοκοῦν συμφέρειν τῇ πατρίδι.

Appianus in capite septuagesimo sexto:

πρέσβεις οὖν ἑτέρους ἐς Ῥώμην ἔπεμπον αὐτοκρά-ρας, ὅπῃ δύναιντο τὰ παρόντα διαθέσθαι.

Appianus igitur hoc loco duobus utitur iisdem rbis, quibus Polybius, „*πρέσβεις αὐτοκράτορας*“ et *τὰ παρόντα*.“

Carthaginiensium vero legati, quo calamitatem triae imminentem se aversuros sperabant, se sua-e omnia Romanorum tradidisse potestati Polybius Diodorus et Livius narrant[14]), cum Appianus m deditionem a legatis factam esse non comme-

14) Polybius: *οἱ πρέσβεις ἔδωκαν τὴν ἐπιτρόπην περὶ αὐτῶν.*

moret. Sed ex iis ipsis verbis, quae Appianus R
manos ad legatos Carthaginiensium dicentes fac
se Carthaginem liberam esse passuros, intellegimu
legatos omnes res suas in Romanorum potestate
dedisse, quo demum facto Romani de terra Puni
ut domini statuere eamque per clementiam et ma
suetudinem Carthginiensibus liberam reddere posse

At consideremus ea, quae tum a Romanis Ca
thaginiensium legatis edicta esse, Polybius tradi
in capite altero:

*ἔλεγεν ὁ στρατηγὸς τὴν τῆς συγκλήτου γνώμη
ὅτι καλῶς αὐτῶν βεβουλευμένων δίδωσιν αὐτοῖς
σύγκλητος τὴν τ' ἐλευθερίαν καὶ τοὺς νόμους, ἔτι
τὴν χώραν ἅπασαν καὶ τὴν τῶν ἄλλων ὑπαρχόντω
κτῆσιν, καὶ κοινῇ καὶ κατ' ἰδίαν — μετὰ δὲ ταῦ
τοῦ στρατηγοῦ διασαφοῦντος διότι τεύξονται τούτω
ἐὰν τριακοσίους ὁμήρους εἰς τὸ Λιλύβαιον ἐκπέμψωσι
ἐν τριάκοντ' ἡμέραις, τοὺς υἱοὺς τῶν ἐκ τῆς συγκλήτ
καὶ τῆς γερουσίας, καὶ τοῖς ὑπὸ τῶν ὑπάτων παραγγελλ
μένοις πειθαρχήσωσιν, ἠπόρησαν.*

Atque eadem Appianus multo sane paucioribu
verbis in capite septuagesimo sexto exponit.

οἷς ἡ σύγκλητος εἶπεν, ἐὰν τοῖς ὑπάτοις ἔτι οὖσ

Diodorus: *πρεσβευτὰς ἐξέπεμψαν εἰς Ῥώμην, αἳ ἐνεχείρισ
τοῖς Ῥωμαίοις ἑαυτούς τε καὶ τῆς πατρίδος τὰ πράγματα* — Pol
bius autem a se „*ἐπιτρυπήν*“ omnium rerum deditionem intelle
accuratius etiam exponit.

Epistomae: „Legati triginta Romam venerunt, per quos
Carthaginienses dedebant.“ Quo ex loco etiam numerum legatoru
quem Appianus divisit, cognoscimus.

ν Σικελίᾳ τριάκοντα ἡμερῶν τῶνδε, οἱ Καρχηδόνιοι ριακοσίους τοὺς ἐνδοξοτάτους σφῶν παῖδας ἐς ὁμηρείαν αράσχωσι καὶ τἆλλα κατακούσωσιν αὐτῶν, ἔξειν αρχηδόνα ἐλευθέραν τε καὶ αὐτόνομον, καὶ γῆν ὅσην χουσιν ἐν Διβύῃ [15]).

Ex hoc igitur loco quanam ratione Appianus a, quae Polybius scripsit, paucis comprehendat, erspicuum est. Quos hic dicit: „τοὺς υἱοὺς τῶν κ τῆς συγκλήτου καὶ τῆς γερουσίας“ ille: τοὺς ἐνοξοτάτους παῖδας significat, quae hic verbis expresit: „τὴν τ' ἐλευθερίαν καὶ τοὺς νόμους, ἔτι δὲ τὴν ώραν ἅπασαν καὶ τὴν τῶν ἄλλων ὑπαρχόντων κτῆσιν, αὶ κοινῇ καὶ κατ' ἰδίαν: ille verbis: „Καρχηδόνα λευθέραν τε καὶ αὐτόνομον, καὶ τῆν ὅσην ἔχουσιν ν Διβύῃ.“ Neque de summa rerum Appianus a olybio discedit. Uterque produnt trecentos obides Carthaginiensibus a Romanis esse impeatos [16]) eosque intra dies triginta fuisse dandos. Quod senatusconsultum „τὸν στρατηγόν“ is est raetor urbanus, qui consulibus, quae res tum ccciderat, ad bellum gerendum Roma profectis, enatui praesidebat, Carthaginiensium legatis pro-

15) Multo etiam magis quam Appiani, verba Diodori, quae in apite sexto libri tricesimi alterius adhuc exstant cum Polybii conentiunt:

ἡ δὲ σύγκλητος ἔδωκεν ἀπόκρισιν ἐπεὶ καλῶς βουλεύονται Καρχηδόνιοι δίδωσιν αὐτοῖς ἡ σύγκλητος νόμους, χώραν, ἱερὰ τάφους, ἐλευθερίας ὕπαρξιν — τεύξεσθαι δὲ τούτων τῶν φιλανθρώπων, ἐὰν ὁμήρους δῶσι τριακοσίους υἱοὺς τῶν συγκλητικῶν καὶ πείθωνται τοῖς ὑπὸ τῶν ὑπάτων παραγγελλομένοις.

16) Livius quoque trecentos obsides Carthaginiensibus imperatos sse dicit.

nunciasse Polybius accuratius dicit quam Diodo
et Appianus.

Iam vero Appianum, Carthaginis ipsius lib
tatem legatis a Romanis promissam esse, narra
videmus, cum Polybius et Diodorus huic ipsi
summam tribuant vim, quod Romani urbem ips
nullo verbo commemoraverint. Sed haec, quae
detur discrepantia, ea in re posita esse mihi videt
quod Appianus pressae orationi operam dans ha
Polybii: τοὺς νόμους, ἔτι δὲ τὴν χώραν ἅπασαν
τὴν τῶν ἄλλων ὑπαρχόντων κτῆσιν καὶ κοινῇ καὶ
ἰδίαν" uno verbo: „Καρχηδόνα" comprehendit. U
deinde vehementer se errasse et eam rem, utr
urbs ipsa a Romanis nominata sit necne, maxim
habere vim adnimadvertit, errorem ita corrig
studuit, ut Censorinum consulem dicentem faci
a Romanis Carthaginem non urbem ipsam eiusc
aedificia, sed incolas solos intellegi [17]).

Carthaginienses autem, quamquam Romani pa
condiciones iis ferebant, quae adeo opportunae
et prosperae videbantur, tamen haudquaquam
omni suspicione et calamitatis timore liberatos es
et Polybius narrat et Appianus. Atque Polyb
illud in capite altero;

---

17) Hac igitur de re neglegentius Appianus disputasse n
est concedendum, nisi forte sua sponte Appianus ita rem expos
nihil interesse opinatus, utrum iis verbis, quibus Polybius d
senatus Romanus usus esset, an urbis ipsius integritatem leg
annuisset; atque non tantam, quantam Polybius, dedit operam,
insidiosam illam et fraudulentam rationem, qua postea in Cart
ginienses Romani utebantur, legentibus excusaret.

περὶ δὲ τῆς πόλεως μὴ γεγονέναι μνείαν εἰς μεγάλην στάσιν αὐτοὺς ἦγε καὶ πολλὴν ἀμηχανίαν.

Appianus in capite septuagesimo septimo:

οἱ δὲ Καρχηδόνιοι τὴν μὲν γνώμην ὑπώπτευον, οὐκ ἐν συνθήκῃ βεβαίᾳ τὰ ὅμηρα παρέχοντες.

Polybius igitur illud Carthaginiensibus suspicionem movisse dicit, quod urbs ipsa non commemorata est a senatu, Appianus autem, quippe qui per errorem lapsus Carthaginis ipsius libertatem legatis promissam esse narraverit, eandem rem timoris Poenorum causam significare non potest et cur timuerint Carthaginienses, omnino omittit. Quo fit, ut Polybio repugnare et curae Carthaginiensium hanc fuisse causam existimare videatur, quod Romanorum fidei Carthaginienses omnino diffidebant, aut quod eorum animi perturbabantur, cum, quae obsidibus datis consules etiam alia sibi imperaturi essent, coniicere non possent et tacitas Romanorum cogitationes extimescerent. Nam Appianum non ita rem percipi voluisse, iam tum argutae illius et captiosae Carthaginis, quid esset, interpretationis, quam postea censorinum consulem posuisse narrat, Carthaginiensibus in mentes venisse, ea ex re intellegimus, quod Hannonem, legatorum Punicorum unum, audito Carthaginem deletam velle Romanos, consulibus turpissimam illam Romanorum perfidiam, qui eam urbem, qui libertatem se erepturos negassent, etiam deleri viderent, obprobrasse dicit [18]).

18) Appianus se Romanorum consilia haudquaquam probare et

Quamvis igitur solliciti essent Carthaginienses de rebus instantibus, tamen ut et Appianus et Polybius narrat, cum aliam salutis expediendae potestatem nullam sibi iam adesse existimarent, nisi summa obedientia inimicos sibi Romanorum animos placassent, obsides, quos Romani sibi imperavissent dandos esse constituebant. Qua de re Polybius quidem longius et accuratius disputat quam Appianus. Nam ille etiam orationem quandam profert qua Mayo Bruttius Romanorum voluntati cedendum et obsides illos dandos esse, Carthaginiensibus persuasisse dicitur, quod Appianus omittit.

Atque Polybius deinde in capite tertio, quanta tristitia quantoque dolore eorum animi affecti sint qui consanguinitate cum iis coniuncti erant, qui obsides a Carthaginiensibus ad consules mittebantur his verbis describit:

ἐξέπεμπον (τοὺς παῖδας) μετὰ μεγάλης οἰμωγῆς καὶ δακρύων, ἅτε προπεμπόντων ἕκαστον τῶν ἀναγκαίων καὶ συγγενῶν καὶ μάλιστα τῶν γυναικῶν ἐκκαιουσῶν τὴν τοιαύτην διάθεσιν.

Quae Polybii verba ita expressit imitatione Appianus in capite septuagesimo septimo:

τοὺς παῖδας ἦγον εἰς Σικελίαν, γονέων τε αὐτοῖς ἐπικλαιόντων καὶ οἰκείων, καὶ μάλιστα τῶν μητέρων[19]

Carthaginienses callide et fraudulenter a Romanis quasi laqueis irretitos esse sibi videri, ea ratione, qua rem explicat, aperte indicat.

19) Diodorus contra consuetudinem suam multo brevius quam Appianus eandem rem attingit. Nam haec sola dicit: τοὺς ὁμήρους ἐξέπεμψαν μετὰ πολλῆς οἰμωγῆς. Quare ab eo quoque, cum prae

Videmus igitur non solum utriusque et Polybii et Appiani verborum significationem eandem esse, sed etiam genus scribendi eadem ratione ab utroque compositum. Nam uterque genetivo absoluto utuntur et hac verborum conformatione: „καὶ μάλιστα τῶν γυναικῶν (App. μητέρων)."

Quantopere autem Appianus Polybii verbis adhaerescat, etiam ex altero quodam loco patet. In capite enim nonagesimo altero, quo, quanta in perturbatione Carthaginienses a legatis suis certiores facti, Romanos Carthaginem ipsam deletam velle, versati sint, narrat, iterum mentionem facit matrum his verbis:

μάλιστα δ' αὐτούς ἐς ὀργήν ἀνέκαιον αἱ μητέρες αἱ τῶν ὁμήρων

Qua in re praecipue comparandum est Appiani „ἀνέκαιον" cum Polybii „ἐκκαιουσῶν."

Atque ex talibus locis, quales etiam permulti apud Appianum nobis occurrent, Appianum non solum perlegisse Polybii libros eaque referre, quae memoria custodiverit, sed etiam semper et incipientem conscribere huius belli historiam et finientem evolutos illius libros manu tenuisse atque breviora modo ut ea, quae Polybius scripsit, redderet, operam dedisse.

Obsides vero Carthaginiensium primo quidem in Siciliam transportatos et consulibus traditos, illius

---

sertim iisdem fere verbis hoc loco scribere incipiat, quibus Polybius, etiam plura, quae amissa sunt, Polybium secuto illa de re scripta esse, admodum est verisimile.

autem Romam ipsam missos esse, et Polybius narrat et Appianus Hunc autem Polybii librorum locum, cum gravia quaedam et ad rem maxime pertinentia omissa sint, breviatum esse ab iis, qui libros eius interpretati sunt, non animadversum mihi esse videtur. Neque enim apud Polybium commemoratum reperimus, quid Romani Carthaginiensium legatis responderint, neque intellegimus, cur obsidibus datis consules exercitum in Africam traiecerint et bello persequi Carthaginienses perseveraverint. Quam rem Appianus plane explicat, qui Carthaginiensibus Romanorum consules ea, quae praeter obsides datas ad bellum avertendum fieri necesse esset, Uticae eos cognituros dixisse, narrat. Quod a Polybio quoque narratum esse apparet.

Exercitu autem Romano in Africam traducto et castris ad Uticam positis legatos a Carthaginiensibus missos esse, qui, quid fieri vellent Romani, quaererent, Polybius et Appianus dicunt. Atque deinde Polybius in capite quarto his verbis pergit:

ὁ δὲ πρεσβύτερος τῶν ὑπάτων ἐπαινέσας αὐτῶν τὴν πρόθεσιν καὶ προαίρεσιν ἐκέλευε παραδιδόναι τά τε ὅπλα καὶ τὰ βέλη πάντα χωρὶς δόλου καὶ ἀπάτης.

Quod idem Diodorus dicit in capite sexto:

τῶν δὲ ὑπάτων εἰπόντων παραδοῦναι τὰ ὅπλα ἀδόλως καὶ τοὺς καταπέλτας etc.

Appianus in capite octogesimo:

Κηνσωρῖνος δ' υπαναστὰς ἀντέλεξεν ὧδε: „τῶν μὲν οὖν ὁμήρων τῆς τε ταχύτητος καὶ τῆς ἐπιλέξεως ἐπαινοῦμεν ὑμᾶς· τί δὲ ὅπλων δεῖ τοῖς εἰρηνεύουσι καθαρῶς;

φέρετε· πάντα ὅσα δημόσιά τε καὶ ἴδια ἕκαστος ὑμῶν ἔχει, βέλη τε καὶ καταπέλτας ἡμῖν παράδοτε.“

Videmus igitur Appianum hoc loco oratione directa, Polybium obliqua uti. Atque saepenumero Appianus orationes, quas Polybius obliquas proposuit, directas et contra, quas Polybius directas, reddit obliquas.

Quae autem Polybius verbis: „πρόθεσις“ et „προαίρεσις“ universe significat, ea Appianus proprie dicit: „ὁμήρων τὴν ταχυτῆτα καὶ τὴν ἐπίλεξιν“, cum omnium videlicet, quae ad Romanos placandos iam facta erant a Carthaginiensibus, obsides, quas dederant, maximi essent momenti.

Sed una quidem in re Appianus hoc loco et Polybio et Diodoro maxime repugnat. Dicit enim L. Marcium Censorinum Carthaginiensibus, ut arma traderent, imperasse, cum Diodorus et Polybius maiorem natu consulum dicentem faciant, quem Manium Manilium fuisse ex Diodoro cognoscimus, qui haec dicit: ὁ δὲ πρεσβύτερος τῶν ὑπάτων Μανίλιος εἶπεν.“ Et ab Appiano quoque maior consul putari videtur Manilius. Certe quidem Censorinum propterea cum legatis Carthaginiensium egisse dicit, quod facilior quam collega et expeditior ad dicendum fuerit. At Appianus non errore ullo captus, sed sua sponte ac non sine causa a Polybio et Diodoro mihi quidem discrepare videtur. Nam cum hi breviter ea, quae acta sunt inter consules Romanorum et legatos Carthaginiensium perstringant, Appianus longas quasdam et accuratas orationes et a

legatis Punicis et a consulibus Romanis habitas nobis tradidit. Qui cum — haud scio an ex Polybii ipsius libris — Manilium nullam habuisse dicendi facultatem, cognovisset, Censorinum dicentem facere praetulit, cum alioquin mirum fuisset, si viro dicendi imperito tot et tam gravia verba attribuisset. Sed eo magis illam commutationem Appianus facere sibi licere opinabatur, quo minus interesse ei videbatur, utrum Manilius an Censorinus Carthaginiensibus senatus consultum pronuntiavisset[20])

Atque in eodem capite Appianus legatos Punicos ad alteram quoque Romanorum condicionem descendisse narrat:

οἱ δὲ πρέσβεις ἔφασαν ἐθέλειν μὲν καὶ τοῖσδε ὑπακοῦσαι, ἀπορεῖν δὲ ὅπως etc.

Qua de re Polybius haec dicit:

οἱ δὲ πρέσβεις ποιήσειν μὲν ἔφασαν τὸ παραγγελλόμενον, σκοπεῖσθαι δ' αὐτοὺς ἠξίουν τὸ συμβησόμενον, ἐὰν αὐτοὶ μὲν παραχωρήσωσι τῶν ὅπλων, ἐκεῖνοι δὲ λαβόντες ἀποπλεύσωσιν· ὕπως ταῦτα ἔδωκαν.

Structura igitur utriusque auctoris verborum eadem est. Sed hunc Polybii librorum locum non integrum esse, primo adspectu intellegimus. Neque enim quale illud fuerit periculum, quod Cartha-

---

20) Nobis Polybio magis illa de re credendum esse apparet quam Appiano. Quare Mommsenius est reprehendendus, quod Appianum secutus Censorinum cum legatis Punicis disputasse affirmat (Röm. Gesch. par. II. pag. XXVI). Certe Mommsenius, cur Appianus ipsum Censorinum dicentem faceret, non intellexit, aut Appianum Polybio obloqui, omnino ignoravit.

giniensis omnibus armis traditis timebant, apparet. Quod Appianus et Diodorus explicant. Nam Carthaginiensium legatos, ne Hasdrubal capitis damnatus patriae bellum inferret et inermes opprimeret, se metuere dixisse, narrant. Quare idem Polybii verbis adiiciamus necesse est. — Atque ne illud quidem, quanam ratione consules ex legatorum animis scrupulum, quem timor Hasdrubalis iis iniiciebat, evellerint, Polybius commemorat. Deinde vero haec quoque, quae dicuntur Polybii verba: „ὅπως ταῦτα ἔδωκαν“ hunc locum corruptum esse iudicant, cum Polybius paulo postea a Carthaginiensibus arma Romanis re vera tradita esse iterum et accuratius dicat. Quare illa verba, multo sane pauciora, quam quae Polybius ipse scripserit, omnino aliena sunt et ab aliquo, qui illam, ut ita dicam, lacunam huius loci explere studuit, addita esse videntur. Si enim ea, quae ex Polybii libris emissa apud Appianum et Diodorum reperiuntur verba adiecimus, tale requiritur genus scribendi, quale apud Appianum invenimus: „οἵ μὲν καὶ ταῦτα δώσειν ὑπέσχοντο“, cum legati ipsi quidem, antequam Carthaginienses ea dederunt, se tradituros sint polliciti.

De numero autem armorum a Carthaginiensibus traditorum haec Appianus dicit:

παρελάμβανον (Ῥωμαῖοι) εἴκοσι μυριάδας πανοπλιῶν, καὶ βελῶν καὶ ἀκοντίων πλῆθος ἄπειρον, καὶ καταπέλτας ὀξυβελεῖς τε καὶ λιθοβόλους δισχιλίους.

Polybius: πλείονα εἴκοσι μυριάδων ὅπλα παρέδωκαν Ρωμαίοις καὶ καταπέλτας δισχιλίους[21]).

Quibus ex verbis vel maxime intellegere nobis licet, quantopere ad historiam Romanam conscribendam Appianus Polybii libris usus sit. Nam ille eundem, quem hic et catapultarum et armamentorum, quae Carthaginienses consulibus proferebant, numerum commemorat. Quae res maximam habet propterea vim, cum inter plerosque scriptores summam esse de numeris dissensionem haud ignoremus. Si igitur duo auctores de numeris notatis inter se consentiunt, illud omnium firmissimum est argumentum aut veros esse numeros aut exscriptos ab altero ex alterius libris. Quod hic haud dubie ab Appiano factum est.

Armis autem traditis, ut patriam ipsam deleant et novam urbem Carthaginienses condant, a consulibus Romanis postulatur. Quod Diodorus his describit verbis in capite sexto:

ὁ δὲ πρεσβύτερος τῶν ὑπάτων Μανίλιος εἶπεν ὅτι τῇ συγκλήτῳ δέδοκται, ἣν μὲν νῦν οἰκοῦσι, πόλιν ἐκλιπεῖν, ἑτέραν δὲ κτίσαι τῆς θαλάσσης ἀπέχουσαν σταδίους ὀγδοήκοντα.

---

21) Diodorus in capite sexto: παρέλαβον δ' ὅπλων παντοδαπῶν εἴκοσι μυριάδας καὶ καταπέλτας δισχιλίους.

In Epitomis libri undequinquagesimi haec sola eadem de re legimus: „qui (consules) ubi in Africam transierunt, acceptis, quos imperaverant trecentis obsidibus et armis omnibus instrumentisque belli, si qua Carthagine erant, tunc —“ etc.

Cur Mommsenius (R. R. p. II. pag. XXVI) tria millia catapultarum tradita esse dicat, difficile est intellectu.

Quae eadem Appianus ita dicit in capite octogesimo primo:

καὶ ὁ Κηνσωρῖνος ἔλεξεν ὧδε. „ἔκστητε τῆς Καρχηδόνος ἡμῖν, καὶ ἀνοικίσασθε ὅπῃ θέλετε τῆς ὑμετέρας, ὀγδοήκοντα σταδίους ἀπὸ θαλάσσης· τὴν δὲ γὰρ ἡμῖν ἔγνωσται κατασκάψαι.“

Quibus de locis accuratius mihi disputandum esse non videtur, cum omnino inter se consentire appareat Diodorum et Appianum; quibus non resistit Livius, dicens Carthaginienses a consulibus iussos esse oppidum a mari „decem millia passuum nec minus remotum“ facere. Nam mille passus octo stadia continent, ergo decem millia passuum octoginta stadia.

Senatus autem consulto, quo urbem ipsam dedere iubebantur audito, legati Carthaginiensium ad tantam desperationem adducti sunt, ut consules ipsi summa afficerentur misericordia. Quod Diodorus in capite septimo his exponit verbis:

τῶν δὲ πρεσβευτῶν εἰς οἶκτον καὶ ἔλεον τραπέντων καὶ πάντων ῥιψάντων ἑαυτοὺς ἐπὶ τὴν γῆν καὶ πολὺν ὀλαυθμὸν μετὰ δακρύων προιεμένων διατροπή μεγάλη ὁ συνέδριον ἐπέσχε.

Quam Cathaginiensium desperationem Appianus maiore sane descripsit copia verborum, ex quibus haec sola profero:

ἔς τε τὴν γῆν σφᾶς ἐρρίπτουν — Ρωμαῖοι ἐξελήσσονται — ἦν δὲ παμμιγὴς καὶ ἐλεινὸς οἶκτος οἰκτρόντων ὁμοῦ τά τε κοινὰ καὶ τὰ ἴδια, μέχρι καὶ

Ῥωμαίους αὐτοῖς ἐπιδακρύσαι — τοὺς δὲ ὑπάτους ἐπῆει μὲν οἶκτος ἀνθρωπίνης μεταβολῆς.

Quam ad rem pertinere videtur Polybii fragmentum centesimum vicesimum septimum (ap. Belrh):

ὥστε καὶ τοὺς ἐντῷ συνεδρίῳ ἀχανεῖς γενέσθαι καὶ παρεκστῆναι ταῖς διανοίαις, συμπάσχοντας τῇ τῶν ἀκληρούντων ὑπερωδίᾳ.

Appianum igitur non solum gravissimas res exponentem, sed etiam leviores describentem ad Polybii auctoritatem se applicasse videmus.

Unum vero inter legatos Carthaginiensium, quem Diodorus „Blannonem", Appianus „Bannonem" nominat[22]), orationem habuisse, qua consilium Romanorum mutare frustra conatus sit, atque legatorum deinde alios desperantes patriae salutem et timentes, ne a civibus suis calamitate perturbatis trucidarentur effugisse, alios in urbem rediisse et Diodorus dicit et Appianus. Atque Diodorus illud in capite septimo narrat:

τῶν δὲ πρέσβεων τινὲς μὲν ἀπογνόντες τὴν εἰς τὴν πατρίδα πορείαν ἔφυγον ὅπου οὖν ἕκαστος ἐδύνατο, οἱ δὲ λοιποὶ τὴν ἐπάνοδον ἑλόμενον ἐπανῆλθον τὴν ὀλέθριον πρεσβείαν τετελεκότες.

Appianus in capite nonagesimo:

---

22) Apud Diodorum per librariorum mendam pro *BANNΩN* scriptum esse videtur:

BΛANNΩN. Nam *BANNΩN* verum illius viri fuisse nomen quod Polybius quidem tradidit, propterea confidimus, cum Diodori dicta ex aliorum libris conscripta, Appiani autem librum habeamus integrum.

των δὲ πρέσβεων οἱ μὲν ἐκ τῆς ὁδοῦ διεδίδρασκον, οἱ δὲ πλέονες ἐπορεύοντο σιγῇ.

Quicunque autem legatorum Carthaginem reverti audebant, in tristitia taciti permanebant nec respondebant quidquam interrogantibus illis, qui ex urbe iis obviam iverant, sed primum ad senatum iussa consulum deferebant. Cuius rei auctores habemus Diodorum et Appianum.

In Polybii contra libris magna est lacuna et haec eius sola ad hanc rem pertinentia verba nobis relicta sunt:

ἁπλῶς δὲ οὐδὲν εἶδος τῶν μελλόντων ἔγνωσαν, ἐξ αὐτῆς δὲ τῆς τῶν πρέσβεων ἐμφάσεως ὀττευόμενοι εἰς παντοδαπὰς οἰμωγὰς καὶ θρήνους ἐνέπιπτον.

Quae eadem Appianus in capite nonagesimo primo dicit:

σκυθρωποὺς δὲ ὁρῶντες ἔτυπτον τὰ μέτωπα, et infra: *ὡς δὲ οὐδεὶς ἀπεκρίνετο, ἀνώμωζον ὡς ἐπ' ὀλέθρῳ σαφεῖ.*

Senatores autem Punici, ubi nuntium illum tristem ex legatis audiverunt, flebilem tollunt clamorem.

Polybius in capite quinto:

οἱ δὲ πάντες ἅμα ἀνακραγόντες ἐξ αὐτῆς οἱονεὶ παρελύθησαν.

Appianus in capite nonagesimo primo:

καὶ εὐθὺς ἦν βοὴ τῆς γερουσίας αὖθις ἦν τῆς βουλῆς σιγὴ βαθεῖα ἠλάλαξαν ἑξαίσιον ὀδυρόμενοι etc.

Quae Appiani et Polybii verba inter se comparanda esse et a Polybio quoque senatores intellegi conclamantes ex ea re apparet, quod Polybius ubi

haec explicuit, tum demum calamitatis nuntium a multitudinis aures pervenisse commemorat.

Atque eorum quoque, quae apud Polybium sub sequuntur verborum sententiam Appianus in suo libros transcripsit. Nam haec Polybius dicit:

οἱ μὲν ἐπὶ τοὺς πρεσβευτὰς ὥρμων ὡς αἰτίους σφίσ τῶν κακῶν ὄντας τούτων, οἱ δὲ ἐπὶ τοὺς κατειλημμένους τῶν Ἰταλικῶν, καὶ εἰς τούτους ἀπεφείσαντες τὸν θυμόν

Haec Appianus in capite nonagesimo altero:

οἱ δὲ τοὺς πρέσβεις κατέλευον ὡς κακῶν ἀγγέλους οἱ δὲ καὶ περιέσυρον ἀνὰ τὴν πόλιν. ἕτεροι δὲ τοὺς Ἰταλούς, οἳ ἔτι παρ' αὐτοῖς ὡς ἐν αἰφνιδίῳ καὶ ἀκρ ρύκτῳ κακῷ ἦσαν, ἐλυμαίνοντο ποικίλως.

Accuratius deinde Appianus, quae in urbe gest sint a Carthaginiensibus salutem desperantibus, nob exponit. Quarum rerum descriptio, quum ex Poly bii libris ab Appiano sumpta sit, non dubitabimu Ea autem, quae bello re vera exorto facta sunt Romanis et a Carthaginiensibus atque Romano initio quidem male rem gessisse, deinde vero Sc pione consule et imperatore creato, vicisse, ex ur Appiano cognoscimus, cum quae iisdem de rebu Polybius scripsit et Diodorus paucis quibusdam ii que dispersis reliquiis exceptis e libris eorum amiss sint[23]). Quarum in reliquiarum numero haec es

23) In Epitomis de oppugnatione quoque potiora sola eaq breviter commemorata sunt. Haec tamen, quamvis pauca, Appianu nusquam a Polybio recessisse satis demonstrant. In Epitomis en de Scipionis virtutibus haec narrata sunt: „In qua oppugnation cum neglectos ab una parte muros duo tribuni temere cum coho

quae Polybius de Phamea, equitum Punicorum magistro nobis tradidit:

τὰς προφυλακὰς βλέπων ὁ Φαμέας, ὢν οὐκ ἄψυχος, ξέκλινε τὰς πρὸς τὸν Σκιπίωνα συμπλοκάς. καί ποτε συνεγγίσας ταῖς ἐφεδρείαις, προβαλόμενος ὀφρὺν ἀπόομον, ἀπέστη καὶ πλείω χρόνον — (ea, quae sequebantur non ad nos pervenerunt).

Cum quibus comparanda sunt haec ab Appiano radita in capite centesimo:

ὅτε δὲ Σκιπίων ἄρχοι, οὐδαμοῦ οὐδ' ἐπεφαίνετο et: Θεν ὁ Φαμέας οὐκ ἐπεχείρει μόνῳ (τῷ Σκιπίωνι).

Appianus igitur Phameam cum uno Scipione proelium committere omnino ausum esse negat. Quod idem a Polybio quoque narratum esse verisimile est. Praeterea autem hic, quem videlicet ongius res et accuratius Appiano exponere scimus, llo loco, quonam maxime tempore et qua occasione blata Phameas, ne cum Scipione manum consereret, itasset, memoriae tradidit. Phameam autem virum uisse audacem Appianus supra iam dixit:

Φαμέας ὁ ἵππαρχος ὁ τῶν Λιβύων νέος τε ἔτι καὶ ρασύτερος ἐς μάχας.

Iam vero praeter ea, quae de Phamea dicit

---

bus irrupissent, et ab oppidanis graviter caederentur, a Scipione fricano expliciti sunt. Per quem et castellum Romanorum, quod octe oppugnabant, paucis equitibus iuvantibus liberatum est: castroumque, quae Carthaginienses omnibus copiis ab urbe pariter egressi ppugnabant, liberatorum is ipse praecipuam gloriam tulit." — Quas es a Scipione gestas esse, Appianus quoque tradidit in cap. 98, 00, 101.

Polybius haec quoque eius verba reperimus in libr tricesimo sexto:

αἱ δὲ σημαῖαι τῶν Ῥωμαίων συνεπεφεύγεσαν εἰ βουνόν· καὶ πάντων δόντων γνώμας ὁ Σκιπίων ἔφη ὅταν ἐξ ἀκεραίου βουλεύωνται, καὶ πλείω ποιεῖσθα πρόνοιαν τοῦ μηδὲν παθεῖν ἢ τοῦ δρᾶσαι κακῶς τοὺ ἐχθρούς . . .

Qui locus adeo interruptus et vitiosus ad no pervenit, ut verborum significationem non intelle geremus, nisi Appianus eam nos doceret. Qui Ma nilium consulem Scipione vehementer dissuadent contra Hasdrubalem profectum esse, nobis tradidi Proelio autem facto Romanos, a Carthaginiensibu reiectos, flumen quoddam, cuius nomen Appianu non commemorat, transiisse. Quibus narratis si idem pergit in capite centesimo tertio:

σπεῖραι δ' ἐν ἀρχῇ τοῦδε τοῦ πόνου τέσσαρες ἀπο σχισθεῖσαι τοῦ ῥεύματος ὑπὸ τῶν πολεμίων ἔς τινα λόφο ἀνέδραμον· καὶ αὐτὰς ὁ Ἀσδρούβας περιεκάθητο, ἀγνο ο ντων ἔτι Ῥωμαίων, ἕως ἐστάθμευσαν. ἐπεὶ δ' ἔμαθο ἠπόρουν, καὶ τοῖς μὲν ἐδόκει φεύγειν καὶ μὴ κινδυνεύει ἅπαντας δι' ὀλίγους, ὁ δὲ Σκιπίων ἐδίδασκεν ἀρχομένω μὲν ἔρχων εὐβουλίᾳ χρῆσθαι, κινδυνευόντων δὲ ἀνδρῶ τοσῶνδε καὶ σημείων τόλμῃ παραβόλῳ.

Quibus verbis Appianus eandem nobis re multo magis aperte proponit, quam Polybius.

Et a Diodoro quoque eadem de pugna a Ma nilio cum Hasdrubale commissa haec commemorat adhuc exstant in capite nono libri eius tricesim alterius:

κατὰ τὴν μάχην τριῶν Ῥωμαίων πεσόντων, καὶ τούτων ἀτάφων γεγονότων, πάντες χαλεπῶς ἔφερον ἐπὶ τῇ τῶν ἀνδρῶν ἀπωλείᾳ τε καὶ στερήσει τῆς ταφῆς. ὁ δὲ Σκιπίων συγχωρήσαντος τοῦ ὑπάτου διὰ γραμμάτων παρεκάλεσε τὸν Ἀσδρούβαν θάψαι τοὺς ἄνδρας

Idem Appianus in capite centesimo quarto:

ἀχθομένων δὲ πάντων ἐπὶ τῇ τῶν πεσόντων ἀταφίᾳ, καὶ μάλιστα ἐπὶ τοῖς χιλιάρχοις, ὁ Σκιπίων τινὰ λύσας τῶν αἰχμαλώτων ἔπεμψε πρὸς Ἀσδρούβαν, κὰ παρῆνει θάψαι τοὺς χιλιάρχους.

A Diodori autem, qui illa pugna tres Romanos occisos esse affirmat, tribunos solos militum, qui trucidabantur, significari et Appianus dilucide nobis patefacit, cum magnum gregariorum militum numerum cecidisse praetereaque tres tribunos militares a Carthaginiensibus interfectos esse tradat, et ex Diodori ipsius verbis plane apparet, quippe qui Romanos aegre tulisse virorum amissionem dicat. Quod si tres militum gregariorum interiissent, cur Romani illud adeo dolerent, non intellegeretur.

Hasdrubalem vero Scipioni obsecutum tribunos occisos sepelivisse Appianus et Diodorus auctore videlicet Polybio usi affirmant.

Iam in capite octavo Diodorus, quanta Scipio fuisset iustitia et qua propterea apud hostem usus esset laude et dignitate narravit. Neque enim reliquos tribunos fidem hostibus datam unquam praestitisse, sed foedere icto abeuntibus insidiatos esse eosque per fraudem trucidasse; unum Scipionem nunquam fecisse contra pactum. Itaque factum esse,

ut hostes obsidione pressi nulli Romanorum duci nisi coram Scipione se dedissent. Quod idem Appianus narrat in capite centesimo primo. Cuius haec verba maxime cum Diodoro convenientia profero: *καὶ ἀπὸ τοῦδε οὐ πρὶν ἢ Σκιπίωνα ἀφικέσθαι συνετίθετο οὐδείς.*

Diodorus: *οὐδεὶς τῶν πολιορκουμένων ἐνεπίστευεν αὐτόν, εἰ μὴ Σκιπίωνι συντίθοιτο τὰς ὁμολογίας*[24]).

Atque Scipionem, tribunum etiamtum militum, quaecunque aggressus esset, optime gessisse propteraque magnas sibi parasse laudes, reliquos autem tribunos et ipsum Manilium consulem semper accepisse calamitates, Appianus multis tradidit locis. Ea autem Scipionis felicitate factum est, ut tribuni ei summopere inviderent et quoque modo obtrectare studerent. Qua de scriptum est Polybii fragmentum centesimum sexagesimum primum:

οἱ δὲ διαξηλοτυπούμενοι πρὸς τὸν Σκιπίωνα ἐπεβάλοντο διασύρειν τὰς πράξεις αὐτοῦ.

---

24) In capite nonagesimo octavo, quo Appianus primam Scipionis mentionem facit, his utitur verbis: *Σκιπίων δὲ, ὃς μετ' ὀλίγου εἵλε Καρχηδόνα καὶ παρὰ τοῦτο Ἀφρικανὸς ἐπεκλήθη; χιλιαρχῶν τότε* etc.

Diodorus: *Σκιπίων, ὁ Ἀφρικανὸς κληθεὶς ὕστερον, τότε δὲ χιλίαρχος ὤν...*

De Scipione Maiore ac non, quod minus diligenter mihi considerant primo quidem visum est, de hoc Minore Polybii fragmentum CLVIII: „*καὶ τὸ αὐτόματον καὶ τύχητις ἐσωματοποίει τὰς τοῦ Σκιπίωνος πράξεις, ὥστ' ἐπιφανεστέρας ἀεὶ καὶ μείζονας φαίνεσθαι τῆς προσδοκίας*“ scriptum esse ex his Diodori in lib. XXIX capite XXIV verbis intelligitur: „*ὁ Σκιπίων διά τὸ μέγιθος τῶν πράξεων βαρύτερος ἐφαίνετο τοῦ τῆς πατρίδος ἀξιώματος*“ quae de Scipione Maiore sunt dicta.

Qua de invidia et obtrectatione tribunorum duobus Appianus locis scripsit. Qui, postquam Phameam in unum Scipionem nunquam invasisse, quod semper hic ad incursiones subitas optime praeparatus fuisset, narravit, haec dicit in capite centesimo primo:

οἱ δ' ἕτεροι χιλίαρχοι κατὰ φθόνον ἐλογοποίουν ξενίαν ἐκπατέρων εἶναι Φαμέᾳ πρὸς Σκιπίωνα τόν τοῦδε πάππον.

Et in capite centesimo altero, in quo Manilium a Scipione, ne in Hasdrubalem proficisceretur, gravissime monitum esse narrat, ita pergit:

ἀντιλεγόντων δὲ κατὰ ζῆλον αὐτοῦ τῶν ἑτέρων χιλάρχων.

Haec deinde verba, quae Polybii fragmentum centesimum sexagesimum alterum continet:

οἱ δὲ Φωμαῖοι ὑπερευδοκούμενοι κατὰ πάντα τρόπον τῇ τοῦ Σκιπίωνος ὁμολογιᾷ καὶ τῷ χειρισμῷ τῶν πραγμάτων

componenda sunt cum iis, quae Appianus dicit in capite centesimo nono:

ἡ δὲ βουλὴ Σκιπίωνα μὲν ἐπῄνει, Φαμέαν δ' ἐτίμησεν etc.

Nam paulo ante haec verba Appianus, Phameam a Scipione commotum ad Romanos transiisse, narravit. Quo facto utrumque, et Scipionem et Phameam, a Manilio Romam missos esse. Polybius igitur verbo: „ὁμολογία“ pactionem significat, quam Scipio cum Phamea fecit, verbis autem. „τῷ χειρισμῷ τῶν πραγμάτων“ quae alia bene et praeclare a Scipione gesta erant. Ceterum Appianus, senatum rerum a Scipione gestarum haud quaqam poenituisse,

in capite centesimo quinto dixit: ἡ δὲ βουλὴ τούτοις μὲν ἔχαιρε. . . . . .

Scipionem autem Phameae, ut Carthaginenses desereret, persuasisse ex Diodori quoque fragmento septimo decimo (ap. Bekk.) cognoscimus, quod ita scriptum est:

ὁ Σκιπίων εἰς λόγους συνελθὼν τῷ Φαμέᾳ καὶ μεγάλας αὐτῷ προτείνων ἐλπίδας, ἔπεισεν ἀποστῆναι τῶν Καρχηδονίων μεδ' ἱππέων χιλίων καὶ διακοσίων.

Diodorus igitur a Phamea equitum mille et duocentos ad Romanos esse traductos dicit. Quod impugnare videtur Appianus, qui in capite centesimo octavo Phameam cum duobus millibus ducentis equitibus ad Romanos se contulisse tradit. Cum autem quaecunque hoc de bello a Diodoro scripta adhuc exstant, adeo sint vitiosa et lacunosa, iure opinari debemus, hunc quoque locum non incorruptum ad nos pervenisse et ante „χιλίων" illud „δις" esse eiectum [25]).

In capite vero centesimo quinto Appianus a Romanis legatos ad Masinissam, Numidarum regem, auxilia petituros missos esse dicit. Masimissam autem iam ante legatorum adventum diem obiisse supremum. A quo paulo antea Scipionem, ipsius amicum, ut rem familiarem et regnum inter filios

25) In Epitomis libri quinquagesimi numerus equitum ad Romanos a Phamea traductorum non editur, sed illud solum, Phameam a Scipione persuasum esse, ut ad Romanos cum equitatu suo transiret.

divideret, esse accitum. Quo nuntio audito Scipionem protinus profectum, regem non etiamtum viventem vidisse. Quod Polybius quoque affirmat, qui Scipionem tertio die post regis mortem advenisse Cirtam commemoret in libri tricesimi septimi capite tertio.

Quae deinde Polybius et Appianus de Masinissae moribus rebusque gestis nobis produnt, magnopere inter se respondent. Nam Polybius haec dicit:

Μασανάσσης ὁ ἐν Λιβύῃ τῶν Νομάδων βασιλεὺς ἀνὴρ ἦν τῶν καθ' ἡμᾶς βασιλέων ἄριστος καὶ μακαριώτατος.

Appianus: *καὶ ὁ μὲν (Μασανάσσης) ἐτελεύτησεν, ἀνὴρ ἐς πάντα ἐπιτυχής.*

Epitomae: „Masinissa, Numidiae rex, maior nonaginta annis, decessit, vir insignis.“

Et Appianus, quibusnam maxime in rebus Masinissae summa felicitas posita fuerit, planius explicat.

Polybius: *σημεῖον δὲ τῆς σωματικῆς αὐτοῦ δυνάμεως ἔχων ἐνενήκοντα ἔτη καθ' ὃν καιρὸν μετήλλαξε τὸν βίον, υἱὸν ἀπέλιπε τεττάρων ἐτῶν, ὄνομα Στέμβανον.*

Appianus: *καὶ μεγίστῳ δὴ τῷδε τεκμηρίῳ ἐσήμανε την εὐρωστίαν αὐτοῦ τετραετὲς παιδίον ἐνενηκοντούτης ἀπέλιπεν.*

Diodorus in capite septimo decimo:

σημεῖον δὲ τῆς περὶ αὐτὸν εὐεξίας τε καὶ δυνάμεως

μέγιστον ἐνενήκοντα γὰρ σχεδὸν ἔχων ἔτη υἱὸν εἶχε τετραετῆ διαφέροντα τῇ τοῦ σώματος ῥώμῃ[26]).

Quis est, qui si haec inter se comparaverit dubitare possit, quin Diodorus et Appianus Polybium secuti sint auctorem. Nam non illud solum uterque Polybio auctore tradunt, Masinissam nonaginta annos natum e vita discessisse et puerum reliquisse quattuor annorum, sed etiam eandem hanc rem propterea afferunt, ut cum Polybio magnam Masinissae corporis vim ostendant.

Haec vero apud Polybium sequuntur:

τὸ δὲ μέγιστον καὶ θειότατον τούτου· τῆς γὰρ Νομαδίας ἁπάσης ἀχρήστου τὸν πρὸ τοῦ χρόνου ὑπαρχούσης, καὶ νομιζουένης ἀδυνάτου τῇ φύσει πρὸς ἡμέρους καρποὺς ὑπάρχειν, πρῶτος καὶ μόνος ὑπέδειξε διότι δύναται πάντας ἐκφέρειν τοὺς ἡμέρους καρποὺς οὐδ' ὁποίας ἧττον, ἑκάστῳ τῶν καρπῶν ἐνδιαστάσει μυριοπλέθρους ἀγροὺς κατασκευάσας παμφόρους.

Appianus: *ἡμερῶσαι δὲ γῆν πολλὴν (θεὸς αὐτῷ δοκεῖν), τὰ πολλὰ τῶν Νομάδων ποιφαγούντων διὰ τὸ ἀγεώργητον.*

Appianus igitur eadem, quae Polybius, aliis sane iisque multo paucioribus verbis dicit. Et Diodorus idem tradidit, qui agros moratos heriditate ad Masinissae filios venisse adiecit[27]).

---

26) Livius: „adeo etiam versus in senectam viguit, ut post sextum et octogesimum annum filium genuerit."

27) Facere non possum, quin haec Diodori, quae eius auctorem Polybium fuisse plane ostendant, afferam: *ἦν δὲ καὶ κατὰ τὴν τοῦ σώματος εὐτονίαν διαφέρων καὶ καρτερίᾳ καὶ πόνοις συνήθη*

Quamvis autem maxime et mirabili quodam modo Appianus et Diodorus de iis, quae de Masinissa produnt, cum Polybio consentiant, tamen uterque una in re longe a Polybii auctoritate recedunt. Polybius enim a Masinissa praeter illum, quem Stembanum nominat, quattuor relictos esse filios superstites dicit, Diodorus: decem. Et cum Appianus quoque supra iam dixerit, Masinissam nullo tempore pauciores quam decem habuisse filios, ea ex re sequitur, ut etiam e vita decedenti Masinissae decem aut plures fuerint filii. Quorum tres: Micipsam et Gulussam et Mastanabalem ex iusto matrimonio susceptos, reliquos pellice ortos esse, Appianus non docet. Quare sive illos quasi nothos, sive iusta uxore natos, aut omnes filios Masinissae promiscue illo numero Polybius designat, eius verba ab iis, quae Diodorus, maximeque quae Appianus tradit, omnino recedunt. Qua de re varias coniecturas facere licet et diversitas illa sic enodari potest, ut hunc locum omnino vitiosum nobis traditum et literam „δ“, qua Graeci numerum „quattuor“ denotant,

---

ἐκ παιδὸς ὅς γε ατὰς ἐν τοῖς ἴχνεσιν ὅληντὴν ἡμέραν ἀκίνητος ἔμενε, καθεζόμενος δὲ οὐκ ἠγείρετο, μέχρι νυκτὸς ἐνημερεύων ταῖς τῶν πόνων μελέταις, ἐπὶ δὲ τόν ἵππον ἐπιβαίνιον συνεχῶς ἡμέραν καὶ νύκτα καὶ ταῖς ἱππασίαις χρωέμενος οὐκ ἐξελύετο.

Polybius: ἐγίγνετο δὲ καὶ δυνανικώτατος τῶν καθ' αὐτὸν κατὰ τὴν σωματικὴν ἕξιν. ὅς ὅτε μὲν στῆναι δέοι, στὰς ἐν τοῖς αὐτοῖς ἴχνίσι δε ἡμέρας ἔμενε, καθεζόμενος δὲ πάλιν οὐκ ἠγείρετο, καὶ τὴν ἐπὶ τῶν ἵππων κακοπάθειαν ἡμέραν καὶ νύκτα διακαρτερῶν οὐδέν ἔπασχεν. — Atque illud Polybius et Diodorus convenienter narrant; Masinissam sexaginta annos regnasse.

Quod Appianus non commemorat.

propter illud, quod subsequitur „διά“ errore quodam scriptum esse opinemur; aut is ipse, qui hunc locum ex Polybii libris excerpsit, leviter et parum diligenter scribens, falsum numerum pro „τρίας“ posuit „τέσσαρας;“ aut denique Polybius praeter Stembam etiam alterius cuiusdam, qui nescio quo modo inter nothos Masinissae filios excellebat, nomen tradidit, et is, qui excerpsit, numerum eorum, quos nominavit Polybius, commemoravit. Nam Appianum non errasse, haec, quae in Epitomis libri quinquagesimi legimus, demonstrant: „Inter tres filios eius, maximum natu Micipsam, Gulussam, Mastanabalem — P. Scipio Aemilianus (cum commune iis pater regnum reliquisset et dividere eos arbitro Scipione iussisset), partes administrandi regni divisit.“ Hic igitur tres modo legitimi Masinissae filii commemorantur, Stemba omittitur. Etiam ea de re Livius cum Appiano consentit, ut eundem, quem hic, Mastanabalem inter Masinissae filios maximum natu fuisse dicat.

Illa autem Polybii verba, qualia in Excerptionibus Valesianis: „περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας“ servata sunt, negligenter descripta esse, apparet. Nam illud non commemoratum esse videmus, Scipionem paulo post regis mortem Cirtam venisse ibique omnes res optime disposuisse. Quo modo autem res et imperium inter Masinissae filios diviserit, in illo Polybii fragmento non commemoratur. Quod Appianus accurate explicat.

In capite deinde centesimo undecimo Appianus

Hasdrubalem, Gulussae propinquum, quem urbi praefecerant Carthaginienses, altero illo Hasdrubale, qui extra muros bellum contra Romanos gerebat, trucidatum esse narrat. Et idem in Epitomis commemoratum est ibique adiectum, in curia interemtum esse Hasdrubalem. Quem eundem caedis locum Appianus Hasdrubalem scabellis prostratum esse dicens in mente habet. Diodorus in capite quinto decimo Scipionem, quamquam aetate legibus constituta nondum fuerit, populo magnopere cupiente et tribunis plebis gravissime postulantibus consulem esse creatum tradit. Accuratius autem quam a Diodoro eadem res et a Livio, ut ex Epitomis libri quinquagesimi apparet, exposita est et ab Appiano in capite centesimo duodecimo, qui Scipionem aedilitatem petiturum a populo consulem esse creatum, dicunt.

Scipio autem paulo postquam consul factus est, impetum, ut Appianus in capite centesimo septimo decimo nobis tradit, in eam urbis oppugnatae partem fecit, quae Megara dicebatur. Qua re optime a Scipione gesta, Hasdrubal, urbis praefectus, tanta ira et invidia incensus est, ut omnes, quos vinclis tenebat Romanos captivos, quo melius ab ipsis Romanis oppugnantibus conspici possent, in muros duci et atrocissime vexatos summo supplicio affici iussit. Quae ab Appiano Polybio auctore narrari propterea confidimus, quod Polybius ipse quodam loco ad eandam rem leviter respicit. In capite enim primo libri undequadragesimi Hasdrubalem cum Gu-

lussa convenisse dicit, eumque ut pacis sibi inter
nuntius apud Scipionem fieret, rogasse atque urbem
Romanis se traditurum dixisse, nisi eam deletam
vellent. A Gulussa autem edoctum, Scipionem ta-
lem pacis condicionem non esse accepturum, Has-
drubalem multa de suis virtutibus praedicasse, qua
ipsum impellerent, ut patriam, dum spiraret, a Ro-
manis defenderet, multaque de iustitia deorum di
sputasse, qui urbem Carthaginiensium a Romani
deleri non passuri essent. Quibus Hasdrubalis ver-
bis auditis ex Gulussa, Scipionem se mirari dixisse
quod ille vir, qui tam nefarium scelus in captivo
commisisset atque omnia et humana et divina iur-
pervertisset, divinae simul humanaeque spei plenu
esset. Neque vero dubitari potest, quin Scipio iden
ab Hasdrubale in captos Romanos admissum facinu
in mente habeat, de quo Appianus eo, quem com
memoravi loco disputat.

Hasdrubalem autem cum Scipione de pace egisse
Appianus silentio praeterit. Quod haudquaquam es
mirum, cum Hasdrubalis superbia omnem spem
pacis exturbaret et colloquium illud nullam omnino
ad res vertendas vim haberet. Polybius contra et
Diodorus eam rem produnt, qua Hasdrubalis naturam
moresque designent. Hoc tamen Appianus, quod
Polybius, narrat, Hasdrubalem in urbe pro tyranno
se gessisse et permultos civium suorum odio ductum
et iracundia occidisse.

Quomodo Scipio ad Carthaginem oppugnandam
se expediverit et quibus artibus urbem expugnaverit,

Appianus nos unus docet. Nam quae eadem de re Polybio et Diodoro scripta in libris eorum inveniuntur, adeo sunt pauca, ut ex iis res gestae cognosci non possint. Appianum autem in hac historiae belli Punici parte a Polybio auctore non esse digressum ex narratiunculis quibusdam ab illo traditis, quarum aliae apud Polybium ipsum, aliae in Diori adhuc libris reperiuntur, intellegimus.

Appianus igitur Hasdrubalem, urbe ipsa a Romanis iam expugnata, cum perfugis de salute desperantibus et uxore liberisque suis in Aesculapi templum confugisse ibique nonnullos dies a Romanis se defendisse, narrat. Mox autem timore commotum et ignavia comitibus suis et ipsa uxore ignorantibus cum surripuisse se ad Romanos et a Scipione poenae remissionem petivisse. Et eadem Polybius et Diodorus affirmant.

Perfugae autem, ubi Hasdrubalem supplicem ad aedes Scipionis proiectum viderunt et ab eo se proditos esse intellexerunt, Romanos, ut paulisper a aedibus desisterent, implorant. Qua prece non repudiata et silentio facto, Hasdrubali turpissimam illam proditionem obiiciunt multisque eum et vehementissimis conviciis consectantur. Quod ita Appianus descripsit in capite centesimo tricesimo primo:

οἵ δ' ὡς εἶδον, ἤτησαν ἡσυχίαν σφίσι γενέσθαι, καὶ γενομένης Ἀσδρούβα μὲν ἐλοιδορήσαντο πόλλα καὶ ποικίλα.

Polybius in capite tertio libri undequadragesimi:

καὶ προελθόντες τινὲς τῶν αὐτομόλων ἐπὶ τοῦ τέ-

γους παρῆτοῦντο τοὺς προμαχομένους ἀνασχεῖν μικρόν τοῦ δὲ στρατηγοῦ κελεύσαντος ἐπισχεῖν ἤρξαντο τὸν Ἀσδρούβαν λοιδορεῖν etc.

Et templo a perfugis incenso ipsam quoque Hasdrubalis uxorem, vestis ornatu splendidam et liberos sibi affixos habentem coniugi ignaviam increpitasse uterque narrant, Polybius et Appianus. Quorum verba, quibus ad rem illam explicandam utuntur, quantopere inter se congruant, qui ea inter se comparaverit, intelleget. Quanam autem ratione mulier illa clarissima et coniuge longe fortior vitam finiverit, ex Polybio non cognoscimus. Appianus contra liberis iugulatis in medias flammas illam se immisisse dicit. Duos autem fuisse Hasdrubalis liberos, quos mater trucidabat et in Epitomarum libro quinquagesimo et apud Appianum in capite centesimo tricesimo legimus.

Quod si ea, quae ab Hasdrubalis uxore gesta esse audimus, ab alio nisi a Polybio, qui ipse rebus gestis intereat et auribus dicta percipiebat, traderentur, quin aut omnino commenticia aut certe fama in maius elata essent, non dubitaremus. Quare Appianus, quippe qui eadem referat, quantopere Polybio credat, plane intellegimus.

Capite deinde centesimo tricesimo altero Appianus, Scipionem, Carthaginis, urbis olim maximae et ditissimae ruinas videntem, illud Homeri dixisse narrat:

„ἔσσεται ἦμαρ ὅταν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἰρὴ καὶ Πρίαμος καὶ λαὸς ἐυμμελίω Πριάμοιο.“ Interrogatum a Poly-

bio, quo spectarent illa verba, respondisse Scipionem, imere se de sua patria, reputantem secum, quam vanae essent et inanes omnes res humanae. Quod Polybio, qui ipse audivisset, traditum esse Appianus adiecit. Et hoc omnium certissimum est documentum Appianum Polybio usum esse auctore, quem pse hoc loco auctorem profiteatur.

Atque illa quoque verba, quae in capite centeimo tricesimo tertio leguntur:

ἐς δὲ Σικελίαν περιέπεμπεν, ὅσα Καρχηδόνιοι σφῶν ναθήματα κοινὰ πολεμοῦντες ἔλαβον, ἐλθόντας ἐπιγνώσκειν καὶ κομίζεσθαι — ex eiusdem Polybii ibris Appianum transtulisse haec, quae in Epitomis unt: „spoliorum maior pars Seculis, quibus ablata rant, reddita“ ostendunt.

Sed iam satis disputasse mihi videor ea de re, uam demonstrare mihi proposueram. Nam ex omparatis Polybii cum Appiani libris Appianum evera in bello perscribendo Punico tertio auctore sum esse Polybio, plane intelleximus. Appianum utem multa etiam alia, ut rerum a Romanis in Macedones et in Antiochum Magnum gestarum istoriam, ex Polybii libris excerpsisse constare, upra iam dixi. Sed hoc demonstrare et longum st neque, cum ab aliis ea de re iam disputatum st, operae pretium mihi est visum.

VITA.

Natus sum Bernardus Fahland Kalendis Iuliis anni millesimi octingentesimi quadragesimi primi in vico quodam, qui dicitur Schwirsen, prope sito ad urbem provinciae Pomeranae Caminium. Fidei vero addictus sum evangelicae. Patrem Bernardum ante hos septem iam annos diem obiisse supremum doleo, matrem Friderícam adhuc viventem veneror. Primis autem literarum elementis in eodem, quo natus sum, vico imbutus. Mox vero parentes Gryphimontium demigraverunt, cuius urbis gymnasium Campii, viri eruditissimi, auspiciis per novem annos frequentavi. Atque viginti annos natus civibus academiae Gryphiswaldensis adscriptus Schoemanni, Schaeferi, Hertzii scholis interfui, deiude vero Berolini literarum et Graecarum et Romanarum studia persecutus Boeckhii, Hauptii, Trendelenburgii lectiones audivi.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Errat Curtius, qui in lingua singularum rerum notiones prius extitisse dicit quam universalium.

II.

Immerito Hannibal crudelis fuisse dicitur.

III.

Non recte iudicat Mommsenus, cum Romanos quamvis crudeliter, non invidiose in Carthaginienses consuluisse dicit.

IV.

Tacitus non ipse in Germania fuisse videtur.

V.

In Taciti Dialogi de oratoribus capite undetricesimo pro „horum fabulis et erroribus teneri animi imbuuntur“ rectius scribi videtur „horum fabulis et moribus.“